DE TRIPLICI PHILOSOPHIA

THEOREMATA SCOTICA

SUB AVSPICIIS ADM. REV. PATRIS

FR. IACOBI DOGLIA

[illegible] Provinciae Tusciae [illegible]
[illegible] Conventus S. Francisci
Civitatis Prati Guardiani.

P R O P V G N A N D A

A F. Dominico Donati de Puppio Min. Con. Alumno R.P.M.
[illegible] Vincentii de Caravaggio [illegible] Gymn. Prat. Regente.



Disputab. in Eccl. S. Francisci Civit. Prati Die   Hora

Florentiae, apud Vincentium Vangelisti. Sup. perm. 1684.

REVERENDE
ADMODVM PATER.

DElphicum eſt ab vnoquoque ſuum quæritari Aſylum, atque inſtabiles inter vndas Carbaſa vacillare donec optata Littora petant; non abs re igitur hic meus Philoſophicus Gerion ex triplicis Naturalis Pallades compactus Theſibus ad te, tanquam ad dulce præſidium virtutis beneuolum Mæcenatem anhelanti curſu confugit; & quidem non inconſulto, anſam præbente tuo glorioſo, prodigioſoque Stemmate (ni aliunde ortum duxiſſet occaſio) quod ſub ſemper vernanti Vmbra cuiuslibet ſpe virentis animum manet, quodue ſauciato Corde latitantem humanitatis, benignitatiſque inexhauſtum fontem clientibus ſereno vultu patefacit. Ex Apollineo Tripode ſcatet, non tibi, cuius inclytum nomen per omnes reboat Oras, quem Rhetorum Ciceronem elapſa tempora norunt, quem Camenæ ſuum certatim adorant Apollinem,

Philoſophica Arena, necnon Sacra Theologica Scoti Palęſtra acerrimum propugnatorem, ac ſtrenuiſsimum Martem experta ſunt, quem Suggeſta prima Sacræ Paginæ eximium præconem (cui non ſecundus) atque in Acheronteis Labyrinthis degentium, Egeidorum piam Ariadnæ fatentur, quem defatigata Procla nouum eloquentiæ Demoſtenem, & tot redimitum Lauris, quot virtutibus micantem noſtræ tempeſtatis Heroem acclamant, quem demum in clauum regiminis tenendo peruigilem Argum, ac valde promptum Briareum omnium ora dicunt, hæc minima munuſcula à tenello meæ imbecillitatis ſinu proſilientia deberi. Arride at tamen votis audacis irridendi animi tua ſemper colenda pietas, & æquo animo, pariterque benigno oculo exiguum obſequium excipiat exoro, ex corde pollicens (ſi parcent vitæ Fata ſuperſtiti) me tibi maiora daturum. Vale ad Neſtoreos annos.

I. PHiloſophia rationalis, vulgo Logica appellata diui ditur in Ariſtotelicam, & ſecundum totam ſui lati- tudinem; Primo modo conſiderata ipſi tanquam obiectum adequatum, & totale ſyllogiſmus adſcri- bitur; Secundo modo, Inſtrumentum ſciendi, prout continens definitionem, diuiſionem, cum argumen tatione. Eſt ſcientia, ſed non in rigore Practica, nec rigoroſè Speculatiua, cum iſtæ differentiæ non ita oppoſitę cen- ſeantur, quin omne medium à ſe reſpuant.

II. Quantum attinet ad eius neceſſitatem, maximam inuenimus, ſuf- fulcti auctoritate Ariſtotelis aſſerentis cum Platone veteres Philo- ſophos in multos, variosq; incidiſse errores ob Logicę ignorantiam, qua propter eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias acquiren das in ſtatu perfecto ſine formidine defendimus: non negando ta men ipſas adipiſci poſſe imperfectè cum ſolo diſcurſu naturali &c.

III. Intellectus creatus, licet ſit potentia naturalis naturaliter ten- dens in propria obiecta, poteſt hoc non obſtante Ens rationis, non ſolum per primam, & ſecundam, ſed etiam per tertiam operatio- nem efficere; Secus verò aſſeritur de ſenſu, & multo minus de ex- terno, quam de interno. Vtrum poſtea Intellectus diuinus ipſum conſtruere valeat, ſecluſo illo imperfectionem inuoluente, pro- babilior etiam videtur ſententia affirmatiua.

IV. Datur vniuerſale à parte rei, non illud Platonicum ſeparatum, vel realiter diſtinctum à ſingularibus, potius chimericum, quam diſcurſu dignum, ſed natura communis apta nata ineſſe multis, at- que cum eis realiter identificata, quæ dicitur communis, non quia eadem numericè ſit in omnibus indiuiduis, ſed propter indifferen- tiam intrinſecam, quam habet, vt conſtituat Petrum, Paulum, vel Franciſcum &c.

V. Vniuerſale in prędicando, quod ſolum propriè eſt vniuerſale, non reperitur ex ſe in rerum natura, ſed tantum per operationem intel- lectus; Eius eſſentia conſtituitur per prædicari actualiter de pluri- bus, & paſſio per eſſe in multis. Habet ſuum fundamentum à par- te rei, quod eſt quælibet Natura creata, cum nulla detur incapax talis vniuerſalitatis, & ex ratione ſua intrinſeca ſingularis.

VI. Ex quintuplici diuerſitate modorum prædicandi, tota exhauri- tur prædicabilitatis ratio, quinque ergo prædicabilia enumeran- tur, Genus ſcilicet, Species, Differentia, Proprium, & Accidens,

non plura, nec pauciora. Primum Metaphyſicè conſideratum conſeruari poteſt in vnica ſpecie; Logicè vero nequaquam, Idem iudicium faciendum eſt de ſpecie in ordine ad diuerſa indiuidua &c.

VII Vnum ſolum prędicamentum ſubſtantiæ reperitur, cuius ratio propria explicatur per perſeitatem, ſeu per eſſe ens, ad quod ſequitur ineptitudo ad inhærendum: nouem vero Accidentium, inter quæ duo dinumerantur abſoluta, ſeptem reſpectiua. Relationes prædicamentales realiter diſtinguntur ab extremis, multiplicantur ad multiplicationem terminorum, & vna aliam fundare poteſt, ſed diuerſi generis.

VIII. Propoſitio contingens ſignificans determinatam partem temporis de vera mutari nequit in falſam, nec è contra; Quapropter, ſi quis aſſereret *Petrus currit tota hora tertia*, ſi talis propoſitio vera exiſtimaretur, ideo eueniret, quia currit tota hora, ſi vero falſa, quia non currit, cum ergo impoſſibile ſit currere, & non currere per totam illam horam, impoſſibile etiam erit talem propoſitionem variari, & mutari de vera in falſam. Scientia non eſt vnibilis cum fide, & opinione in eodem intellectu de eodem obiecto.

IX. Philoſophia naturalis, Phyſica dicta, quia de natura, & rebus pertinentibus ad naturam tractat, habet in via Ariſtotelis pro ſuo adequato obiecto corpus naturale; inſpecta prout continens omnia mobilia, ſubſtantiam finitam preſcindentem á gradu corporeo & incorporeo. Tria ſunt principia corporis in fieri, Materia, Forma, & Priuatio; Duo in facto eſſe, Materia, & Forma, remanentia in compoſito, vt partes eſſentiales, & intrinſecæ.

X. Ne à Natura Materiam excludamus eam ponimus cum propria exiſtentia, vel actu entitatiuo, & ſi per ſe non exiſtit cenſendum eſt euenire propter decretum aliquod Auctoris naturæ, non ex intrinſeca ſua impotentia. Appetit omnes formas, etiam corruptas, & quia eius appetitus eſt, ſicuti turpis ad pulcrum, magis eas appetit, quam magis ab ipſis perficitur; Maiorem appetitum igitur prebet erga nobiliores, quam ignobiliores.

XI. Duæ formæ diſparatæ ob ipſorum repugnantiam naturaliter exiſtere nequeunt in vna, eademque Materia, ſecus vero aſſeritur de ſubordinatis, imo iſtæ de facto inueniuntur in omnibus viuentibus, quarum prima vocatur forma corporeitatis, ſecunda anima, vel rationalis, vel alia. De cadauerica forma non fit ſermo an detur, cum Sole clarius ſit nullum agens de facto creatum ipſam

poſſe

poſſe producere, vltra alia abſurda, ſuo loco, & tempore oppoſitum ſubſtinentibus tradenda. Priuatio principiat per primum ſui non eſſe.

XII. Cauſa in communi definiri ſolet per principium per ſe poſitiuè influens eſſe in aliud diuiditur in efficientem, materialem, formalem, & finalem; Extremæ ſunt extrinſecæ, mediæ intrinſecæ, realiter cauſantes totum, ſeu compoſitum à ſe realiter diſtinctum; Vltima cauſat ſine propria, & reali exiſtentia; Prima dum actualiter exiſtit, quæ ſi ſupponatur totalis, ita influit in ſuum effectum, vt talis eodem inſtanti pendère nequeat ab alia, aliter penderet, & non penderet, produceretur, & non produceretur.

XIII. Non datur inter res naturales aliquod infinitum Cathegorematicum ex partibus æqualibus conſtans; ſupernaturaliter poteſt creari, ipſique additio fieri: ſecundum partes inequales, ſeu communicantes de facto inuenitur in quolibet continuo, quod infinitis partibus ideo gaudere dicitur, quia in illas per infinita ſæcula ſemper eſt diuiſibile, ita, & taliter, vt vltimam aſſignare neque Deo liberum ſit.

XIV. Negamus vacuum naturaliter, ipſum viribus diuinis admittimus, quo dato non poſſet in eo euenire motus inſtantaneus, ſed ſolum ſucceſſiuus, quamquam velocior, ob remotionem, & carentiam plurium impedimentorum externorum. Quidquid dicitur de vacuo, de corporibus pariter aſſeritur, nempè plura non poſſe in vno, nec vnum in pluribus locis naturaliter poni, benè vero per diuinam omnipotentiam; non tantum definitiuè, ſed & circumſcriptiuè.

XV. Si ratio naturalis ſpectetur quodlibet Cœlum eſt corpus ſimplex carens materia, & forma, ſi autem Theologica ſolum Empireum fatemur tale; Hoc ſpecie differt ab alijs, & non influit, alij non differunt ſpecie inter ſe, & influunt.

Nomine Mundi venit vniuerſitas rerum omnium, præſertim corporearum ordinem in ſe habentium abſque &c. Ex Diuo Ioanne habetur Deum vnum ſolum creaſſe, potuerunt tamen plures, & plures produci in tempore, & ab æterno, ſaltem quantum ad entia permanentia.

XVI. Suppoſito, quod detur materia prima, clare etiam colligitur admittendam eſse generationem ſubſtantialem, per ipſam enim nihil aliud intelligimus, niſi productionem alicuius ſubſtantiæ cum de-

dependentia ab aliquó ſubiecto, dupliciter accipitur generatio, ſub ratione productionis, & mutationis.

Primo modo definitur, quod ſit productio ſubſtantiæ phyſicæ compoſitę; ſecundo modo, quod ſit mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem. Terminus, qui, & totalis generationis ſub prima conſideratione acceptæ eſt compoſitum ex materia, & forma, pręſcindendo á ſubſiſtentia: Formalis, & quo forma ipſius compoſiti, non vnio. Generatio, & corruptio non exigunt diuerſa inſtantia temporis.

XVII. Anima eſt actus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis, vel principium, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus: Non aſſiſtit, vt Angelus Cœlo, ſed verè informat corpus, cui datur, & ſi eſt rationalis hoc ipſi conuenit etiam ſecundum gradum intellectiuum; vnica inuenitur in quolibet compoſito cæteras inferiores virtualiter continens: pluribus fruitur potentijs, itaut rationalis habeat intellectum, voluntatem, & loco motiuam; Senſitiua cognoſcitiuam, appetitiuam, & loco motiuam; Vegetatiua nutritiuam &c.

XVIII. Cuilibet ex iſtis potentijs proprium tribuitur obiectum, ſolummodo aliquando diuerſificatum penes diuerſam conſiderationem ipsarum. Intellectus igitur fertur pro ſtatu iſto motiuè in omne ſenſibile; Separatus in omne ens finitum, & limitatum, non habens pro termino Deum ſub ratione Deitatis; Secundum naturalem inclinationem in omne, quod includit aliquam rationem entis. Talis potentia intellectiua eſt inorganica, ſecernitur in agentem, & paſſiuam, formaliter diſtinctas, indigetque ſpeciebus ad operandum.

XIX. Actus vitalis conſiſtit in qualitate abſoluta, cuius vitalitas explicatur per reſpectum tendentiæ in obiectum; poteſt a solo Deo produci, & poni etiam in lapide; Specificat extrinſecè potentiam non intrinsece, quemadmodum nec ipſe intrinſece ſpecificatur ab obiecto. Duas cauſas admittimus productiuas illius actus, vitalis, potentia, & obiectum, vel ſpecies obiecti, quæ maximè partialiter concurrit, ſi actus eſt internus, nam ſi externus, concurrit tantum, vt conditio. Quid aſserendum ſit de voluntate, an ſcilicet totaliter, vel partialiter influat? In ſequenti Theoremate exponetur.

XX. Poſt intellectum ordine naturæ venit voluntas, iure merito hoc ti-

titulo inſignita *Regina Potentiarum*, quia ſola dicere poteſt ſic volo, ſic iubeo; Eſt eſſentialiter libera, & independenter ab alijs potentijs, aliæ vero per participationem ab ipſa. Tres habet libertatis gradus, Dominij ſcilicet, contradictionis, & contrarietatis, quibus potitur dum actu operatur, non ante, nec poſt operationem. Cogi nequit, nec violentari quantum ad actus elicitos, prout ſunt eliciti. Non valet ferri in incognitum, vel in impoſſibile, ſaltem volitione efficaci. Poteſt bene habere omiſſionem puram liberam. Quemadmodum & cauſare totaliter ſuos actus,

XXI. Methaphyſica omnibus conditionibus ſapientiæ ſimul, & ſcientiæ gaudet, eſt enim perfecta ſcientia ſpeculatiua, non practica, contemplans omnes quidditates rerum materialium in vniuerſali, ſpiritualium vero etiam in particulari, quantum lumine naturæ pertingi poſſunt; Ex vniuerſalitate huius ſcientię deſumitur communitas obiecti adęquati, & totalis, eritque hoc ens prout commune Deo, & creaturę, ſubſtantię, & accidenti, non ens tranſcendens ad ens reale, & rationis, neque coarctatum ad ens per ſe, & per accidens.

XXII. Ens reale igitur, quod ponitur commune Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti, immo poſitiuis, priuatiuis, & negatiuis, reſpectu quorum omnium dicit etiam conceptum realem vniuocum, & vniuoce dictum, importat realitatem ipſis adæquate communem, de ſe neque finitam, neque infinitam, nec ſubſtantialem, nec accidentalem. Inter ens reale poſtea, & ens rationis, cum alia ſimilitudo non inueniatur, niſi nominis, nec alia vniuocatio poni poteſt, niſi in nomine entis.

XXIII. Si accipiatur ens prout commune Deo, & creaturis, &c. caret principijs eſſendi, non cognoſcendi, Si autem ſermo ſit de ente creato, ipſum incepiſſe in tempore aſſerimus, taliter quod nulli creaturę ab ęterno concedimus aliquam realem eſſentiam, etiam prout acceptæ ſub actuali ſcientia diuina. Cuilibet eſſentiæ actuali propriam tribuimus exiſtentiam ſeiunctam a tali eſſentia diſtinctione aliqua, non reali cadente inter rem, & rem, neque rationis, ſiue ratiocinantis, ſiue ratiocinatæ, ſed alia media inter iſtas, quæ dicitur formalis, quam etiam ponimus inter diuinam eſſentiam, & perſonalitates, atque inter omnes gradus methaphyſicos.

XXIV. Paſſiones reales, & adæquatę entis realis in communi, ſcilicet vnitas, veritas, & bonitas, ſunt vere, & realiter cum ente iden-

identificatæ, & ab ipſo formaliter diſtinctæ, ipſique addunt aliqualem entitatem poſitiuam, ſolum connotantem negationem per indiuiſionem &c. Non admittunt ordinem à parte rei, ſed tantum penes diuerſam intellectus conſiderationem. Ens quidditatiuè de ipſis non prædicatur, aliter eſſent ſui, non alterius paſſiones; quod pariter aſſeritur de modis intrinſecis, & vltimis differentijs, dicimus ergo ens reſpectu modorum intrinſecorum, paſſionum, & vltimarum differentiarum, eſt prædicatum vniuocum ſed non prædicatur vniuocè.

APPENDIX AD THEOLOGOS,

DE VISIONE BEATIFICA.

SVblimitas, & excellentia Viſionis Diuinæ tanto prægulget ſplendore, vt nullus intellectus ſiue creatus, ſiuè creabilis, ſiue humanus, ſiue Angelicus ipſam pertingere valeat. Vnde de facto a Beatis in patria ſupernaturaliter attingitur media qualitate actuali ſupernaturali intellectum eleuante. In humana Natura datur appetitus naturalis ad iſtam viſionem, non tamen tanta inclinatio, vt ſine ipſa maneat in ſtatu ſimpliciter violento; Ad hunc appetitum habendum non requiritur auxilium gratiæ, vel alterius doni ſupernaturalis, cum non ponatur neceſſarius quantum ad ſpecificationem, & ſit naturalis.

II. Oculum corporeum per aliquod lumen eleuari ad Deum videndum eſt totaliter impoſſibile etiam reſpectu Omnipotentiæ diuinę aliter potentia ſpiritualis, & intellectiua eſſet, non materialis, & viſiua, & licet probabiliter concedamus intellectionem etiam naturalem in ipſo poni poſſe, nihilominus ex hoc non ſequeretur oculum videre, vel intelligere, ſed tantum habere viſionem, intellectionem &c. Quamquam concurrat lumen, vt cauſa ad viſionem faciendam, non tamen eſt totalis; ſed partialis, immo minus principalis; cum etiam concurrat per ſuam virtutem intrinſecam, & innatam intellectus; Ex quo habetur, quod ſi duo darentur intelle-

le-

lectus æquali lumine perfuſi, ſed inæqualis actiuitatis vnus altero perfectiorem eliceret viſionem.

III. Aſſerimus lumen eſse aeceſsarium ad videndum, ſed cum aliqua modificatione, vt ſcilicet ſi Deus particulari influxu agere vellet, etiam ſine ipſo videri poſset. Quantumcumque creſcat perfectio intellectus, & luminis, nullus tamen valet obiectum beatificum comprehendere, & tandem cum Deus ad extra liberè operetur, poterit beatus clarè, & diſtinctè diuina frui eſsentia ſine perſonis, & attributis, imò, & videre in ſpecie impreſsa ipſam perfectè repræſentantem.

99957353

Z
103832

1038.32